

2213

LITURGICAL

2214

  
**C O D I C E S**  
**S Y N O D I C I.**  


DCCCCXXXIII.

- H 8. **C**odex chartaceus gall. Sec. XVIII. Folior. 359. f. est *Volumen I.* Operis inscripti: *Remarques sur les Conciles.* Nulla quidem a prima manu in *Codice* Autoris mentio, nullum tamen dubium, illum esse *Ludov. Thomassinum Aquensem* Congregationis *Oratorii gallic.* Presbyterum et multis annis in *Parisiensi S. Maglorii Seminario* Theologiae Professore doctissimum, ubi et an. 1695. vivere desiit. Agit de eo, ejusque Scriptis *Niceronus* T. III. p. 163. nominatimque praefens Opus excitat, cui praeter amplissimos Indices etiam Notas Marginum tribuit. At vero hae mera sunt Indicium repetitio. Ediderat *Thomassinus* a. 1667. *Tomum I. Dissertationum in Concilia Generalia et Particularia Paris.* 4. qui, quamvis regio munitus Privilegio, ipsique Praefuli *Paris. Harduino de Peresixe* inscriptus esset, quod Sedi Romanae nimium autoritatis circa Concilia generalia tribuere videretur, Parlamento delatus, subque clavibus adservari iussus est. Evadere tamen, ut fit, custodiam Exemplaria nonnulla, quorum bina a Bibliopegis mire confusa mihi obiacent, ipsumque Opus *Lucae* 1728. f. rursus evulgatum est. Verum *Thomassinus* hoc partus sui fato animum, quo erat mitissimo, despondens ad alia vertit calamum, et Promtuarium istud nostrum, unde secuturi *Tomi* elaborandi erant, *msptum* destituit. Continet porro *Volumen I.* Adnotata in

Cano-

*Canones dictos Apostolicos, et in Concilium Illiberitanum (d' Elvire) habitum circa an. 300. omnem Ecclesiae doctrinam et disciplinam late pervagantia, et bonae frugis uberrima.*

*Volumen II. Folior. 408. praemissis iterum Indicibus commentatur eodem modo in Concilia Arelatense I. Ancyranum, Neocaesareaense, Laodicenum, Nicaenum I.*

*Volumen III. Folior. 390. Concilia Gangrense, Antiochenum, Sardicense, Carthaginienese, CPolitanum I. Valentinum, Taurinense, Carthaginienese II. III. IV. exequitur, quibus si Concilia in supra memorato Dissertationum Tomo discussa addas, magnam lucem omni Rei synodicae primorum VII. Saeculorum a Thomaffino hifce suis observationibus affundi lubens fatebere.*

## DCCCCXXXIV.

U. 521 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 385. 4. non una manu perscriptus, et rubricis distinctus totus paene Gersonianus est, et e Concilio Constantiensi a Theologo nostro Petro Zach de Pulka Viennam deVectus videtur. Indicabo singula ad Editionem Operum omn. 1706. f. quae Antverpiam quidem praefert ad captandam benevolentiam, interim Amstelodamum pertinet. Comparet igitur I. Prima propositio domini Cancellarij parisien. facta Constantie die iouis de vespere. 17. octobr. vigilia beati Luce evangeliste

1415. in loco publice Sessionis super materia IX. assertionum Johan. Parvi) per ipsum iudicialiter denunciatarum. Init: *Estimo me beatum aput te &c.* ut Edit. T. II. col. 330. Definit: *per quem veritas et gratia facta est Ihesu christo qui est deus benedictus in secula Amen.* Redit hic Tractatus fol. 43.

*Fol. 10. Secunda Propositio Gerson Cancellarij Parysien. Nempe: Oportet hereses esse sicut apostolus &c.* In Edit. T. II. col. 338. inscribitur *Alius Sermo &c.* Nobis definit: *velit esse Iudex testis et pars &c.* Itaque Edita aliquot lineis procurrun, quae, an pertinentes sint, nescio. Etiam hic Tractatus redit fol. 55.

*Fol. 26. Discutitur Quaestio, an liceat a Pontifice in caussis Fidei appellare, aut illius iudicium declinare, ut T. II. col. 303. Initium: Queritur utrum hec assertio sit catholica. Tam Jure diivinitus promulgato &c.* Folio praevio puro legitur: *Tradatur magistro P. de Pulka, et ad ipsum Titulum minio: Hoc scriptum a Cancellario parysien. Ego tuli.*

*Fol. 32. Secuntur duodecim considerationes super spirituum probatione. Anno MCCCCXV. die VIII. Augusti in Ciuitate Constant. dum generale Concilium illic esset, extracte ab Okam per Cancellarium Parysien. Jo. de Gerson. Ineunt: Probate spiritus si ex deo sunt &c.* ut. T. I. col. 38. ubi tamen ad calcem pro die VIII. Aug. ponitur in die sancti Augustini,